

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0422

0420

0426

0416

0431

0411

0471

0371

0521

0321

0921

Ende

Anfang

408

Clamore cessante processi ad serviendum vigiliae meae et
reperi Trutschelmannum Sarracenum Calinum majorem, insi-
stentem orationi flexis genubus et modo sarracenico gestus
habentem, cumque me audivisset, oratione cessavit, interrogans
me, cur non in tentorio manerem, cui cum dixisse propter
custodiam vigiliae, contentus fuit, convertit autem se contra
desertum ad meridiem et ostendit mihi stellam perlucidam,
noviter ortam, dicens, eam esse et dici ab omnibus stellam
S. Catharinae et ecce, inquit, sub hac stella est mons Synai,
ad quem tendimus, et quando noctibus erit peregrinandum, non
alia via sumus processuri, nisi contra faciem illius stellae
processiverimus, usque quo penitus sub ipsa fuerimus in
monte Synai. Post recessum vero a monte Synai retrospicere
solebam ad stellam illam, eamque vidi in Aegypto existens
et in Alexandria degens et per maris longa spatia; tandem
autem post transitum Cypri, dum in Cycladum insulas venis-
semus, eam amplius videre non poteram, propter nimiam
elongationem et climatis alterationem. Et ita transivit nox
illa prima.

De ulteriori processu in deserto.

Decima die, dum aurora surgeret, surreximus et nos, et
dejectis tentoriis depositisque tabernaculis et omnibus
colligatis ad recessum nos aptavimus. Porro camelarii nostri
tardi erant et quasi cum taedio et involuntarii camelos onera-
bant et multa de rebus nostris jacere dimittebant, unde magnos
clamores et rixas habuimus ad invicem. Nos enim maledic-
tiones teutonicas intulimus et ipsi nobis arabicas et conclama-
vimus, nec ipsi nos, nec nos eos intelleximus. Taedet me
profecto scribere nequicias eorum, quibus nos quasi omni-
mane in operatione bestiarum turbabant, cum industria enim
aliquid jacere permittebant, vel lectulum, aut sportam, aut
saccum, scientes nos oculum habere ad illa. Hoc autem
ideo faciebant, ut peregrinus ille, cui derelicta res erat, coge-
retur eos petere accipere, et ipsi petebant vice versa eum pro
denariis vel panibus, et simulabant, se rem velle dimittere,
nisi dato pretio. Et ita in principio ante experientiam et

